

olio prætextu, vel quovis colore per quoscumque libri Ordinarios, seu alios Superiores, & iudices Ecclesiasticos, & Seculares quavis autoritate fungentes, molestari, perturbari, vel inquietari nullatenus posse. Sicque in præmissis per quoscumque Iudices, Sublatoeis, & eorum cuilibet quavis aliter iudicandi, & interpretandi facultate, & autoritate, iudicari, & definiri debere: ac irritum, & inane, si secus super his à quoquam, quavis autoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari. Non obstantibus præmissis, ac quibusvis Constitutionibus, & Ordinationibus Apostolicis, & quatenus opus sit nostra de non concedendis Indulgentiis ad instar, statutis, & consuetudinibus, ceterisque contrariis quibuscumque. Presentibus ad viginti annos à fine aliorum viginti annorum, ad quos similes gratiæ a sel. rec. Clemente PP. XI. prædecessore nostro concessæ fuerunt inchoandos, tantum valiturus. Volumus autem ut ipsorum presentium litterarum transumptis, seu exemplis, etiam impressis, manu alicujus Notarii publici, vel Secretarii dictæ Societatis subscriptis, & sigillo Præpositi Generalis ejusdem Societatis, vel alterius personæ in Ecclesiastica dignitate constitutæ munitis, eadem prorsus fides ubicumque locorum habeatur, quæ haberetur ejisdem presentibus, si forent exhibita, vel ostensa. Datum Roma apud S. Petrum sub annulo Piscatoris, die 12. Decembris M. DC. XX. Pontificatus nostri anno sexto. Deinde Clem. XI. in Brevi. Alias pro parte 11. Jun. 1701. declaravit, appellatione Neophytorum non comprehendit illos, qui ab Indis pro una dumtaxat parte originem trahunt, quos quarterones dicimus: multoque minus qui octavam partem per proavum, vel proaviam, sive ab alterutro, sive ab utroque habent, quos Puchuales nuncupamus. Et addit: Necnon absidem Presbyteris, & Ordinariis servatis locorum circumstantiis, & limitationibus hujusmodi cum ejisdem Neophytis in primo gradu, etiam recte linea affinitatis ex copula illicita resultantis se attinentibus, ut matrimonium quoque inter se contrahere, seu in eo etiam scienter contractio remanere similiter valent, in occultis tamen, & in foro conscientie tantum, ac urgentibus justis causis, gratis etiam dispensandi, & eos, qui in primo affinitatis gradu hujusmodi, etiam scienter contraxerint, ab excessibus, & excommunicationis, aliisque censuris, ac penis Ecclesiasticis in foro conscientie tantum gratis similiter absolventi: Dicitque Ordinariis alios Presbyteros idoneos, ab ipsis prius approbatos, in locis, ubi non adsint Misio-

narij similem facultatem habentes, quoad præmissa in sui locum subdelegandi licentiam, & facultatem autoritate Apostolica, tenore presentium concedimus, & impartimur. Etiam declarat, quod in illis verbis: Vel alias conjunctis, comprehenditur facultas dispensandi in cognatione spiritali.

T I T XXXII.

De Conversione conjugatorum.

307 **C**onversio conjugatorum in presenti, est ingressus allicujus conjugati in Religionem. Si enim matrimonium sit ratum tantum, hoc est, non consummatum copula perfecta, vel quia alter non petijt debitum, vel quia alter negavit, sive iuste intra bimestre, sive etiam injuste extra illud, potest qui libet ex eis, etiam bimestri elapso, Religionem ingredi. c. 2. G. Ex publico 7. c. 14. b. t. Trid. sess. 24. de Matr. Can. 6. L. 13. tit. 7. p. 1. ubi mulieri post diu contractum matrimonium, non tamen consummatum, ingredi Religionem conceditur. D. Bonae. in 4. D. 27. art. 3. q. 2. Sanch. de Matr. lib. 2. D. 24. n. 27. & alij com. Ratio enim hujus permissionis est, quia in matrimonio rato, in favore matrimonij spiritalis, quod per professionem contrahitur, subintelligitur hæc conditio: *Et si conjux Religionem profiteatur*. Professio namque Religiosa, ob sui excellentiam, habet vim dissolvendam matrimonium ratum, & plures ex Divina revelatione hoc jure usos fuisse, constat ex c. 2. b. t. & ibid. Gonz. n. 6. ac proinde hanc matrimonij solutionem, non tam humana, quam Divina autoritate fieri, probari videtur. Ex c. 2. c. 14. b. t. & ita tenent Scot. Abulenf. Sot. Gonz. in c. 2. b. t. n. 7. in fin. Sanch. de Matr. lib. 2. D. 19. ubi plures citat Doctores variè sentientes. Ad hujusmodi ingressum faciendum bimestre assignatur à Jure. c. 7. b. t. Hic tamen terminus potest prorogari, vel etiam restringi à Judice. L. 13. tit. 7. p. 1. Sanch. de Matr. lib. 2. D. 24. n. 12. Ponce de Matr. lib. 9. cap. 9. n. 8. & 9. intra talem terminum potest conjux deliberare, an posthabito matrimonio, Religionem ingredi velit. Et idcirco intra illum non tenetur matrimonium consummare, nec debitum reddere: etiam si non habeat animum ingrediendi Religionem: nam suo utitur jure, & potest fortasse mutare propositum, & Religionem ingredi. Sanch. de Matr. lib. 2. D. 24. n. 25. Ponce de

de Matr. lib. 9. cap. 9. n. 7. & alij contra Navar. & alios. Hoc quidem bimestre computandum est à die contracti matrimonij: quod si Juxd certum terminum præscribat, ab eo tempore, quo assignavit terminum, mensis computantur, & quidem eo modo, quo in Calendario occurrant, & de momento ad momentum. Sanch. de Matr. lib. 2. D. 24. n. 21. Ponce de Matr. lib. 9. cap. 7. & alij contra Barbof. in c. 7. b. t. n. 9. Si intra bimestre conjux Religionem eligat, eam potest ingredi, ut per annum novitiatus probet, an velit, vel non profiteri; arg. Trid. sess. 25. de Regul. cap. 15. ac per consequens bimestre tantum datur ad deliberandum. Sanch. de Matr. lib. 2. D. 24. n. 40. Professione tamen emissa in effectu, & non antea, in aliqua Religione approbata, etiam Militari, dum verè Religio sit, qualis est Melitensium, dissolvitur matrimonium ratum, etiam quoad vinculum, & conjux in saculo relictus, potest post alterius professionem, & non antea, novum contrahere matrimonium. c. 2. 14. b. t. Trid. sess. 24. de Matr. Can. 6. Gonz. in c. 2. b. t. & alij con. & licet vota simplicia Societatis post biniem emissa constituant verè, & proprie Religiosum, ea emittentem, cum tamen non inducant professionem solemnem, cuius matrimonium ratum deridendi concessa est, & aliunde nullo privilegio hujusmodi habeant vim, dicendum est, quod matrimonium ratum non dirimunt. Ita Suar. Vazq. Enriq. Sanch. de Matr. lib. 2. D. 18. n. 6. Gonz. in c. 2. b. t. n. 6. & alij contra Ponce de Matr. lib. 9. cap. 6. Quod si post bimestre, vel tempus à Judice assignatum mulier sit cognita à conjuge, etiam per vim, cum hic suo jure utatur, nec ipse peccat, nec jam amplius foemina conceditur transitus ad Religionem, quippe jam matrimonium definit esse tantum ratum per talem consummationem. c. 13. b. t. quod à fortiori locum habet, quando copula per metum, etiam gravem, fuit extorta. Sic Ponce de Matr. lib. 9. c. 10. & alij contra Sanch. de Matr. lib. 2. D. 22. n. 6. Greg. Lop. & alios, qui insuper valde probabiliter tenent, foeminam per vim præciam intra bimestre cognitam, posse Religionem ingredi, ne jure suo, sine suo consensu per alterius injuriam privetur: ac proinde dicunt, virum illam per vim cognoscentem peccare: quia aufert corporis foemine integritatem, ad quod non habet jus intra bimestre. Contrarium tamen tenent. Sylv. Covarr. & Ponce de Matr. lib. 9. cap. 10. n. 3.

308 Licet consummato matrimonio de Jure Civili adhuc liberum esset conjugibus ad Religionem convolare: de Jure tamen Canonico, quod proculdubio in hac materia servandum est, non licet conjugi post talem consummationem, invita parte ad Religionem transire. c. 1. b. t. quod sane provenit ex reciproca potestate, quam conjux in alterum conjugem habet, & ideo nequit altero renuente mutare statum, nec ipsum jure per matrimonij consummationem quaesito private: nam ut ait Apostolus 1. ad Cor. 7. v. 4. *Mulier sui corporis potestatem non habet, sed vir: similiter autem, & vir sui corporis potestatem non habet, sed mulier*: quæ quidem reciproca potestas præcipue datur conjugibus per commixtionem corporalem: nam tunc fiunt una caro, & inde nullus potest Deo offerre corpus, quod jam non est suum. Ut deducitur ex c. 2. b. t. Præterea, matrimonium ratum significat charitatem, quæ inter Deum, & animam justam intercedit: consummatum significat unionem Christi cum Ecclesia per humanitatis assumptionem. c. 5. de Bigam. ideo matrimonium ratum dissolvitur per Religionis ingressum: secus consummatum: sicut illa unio per charitatem solubilis est: secus unio per incarnationem. Gonz. in c. 2. b. t. Tribus nihilominus casibus potest conjux post consummationem matrimonij Religionem ingredi. 1. Si aliter committat adulterium, cum enim jus petendi debitum perpetuo amittat, nisi innocenti reconcilietur, potest innocens adultero invito Religionem ingredi. c. 21. 27. q. 2. c. 15. b. t. L. 11. tit. 7. p. 1. 2. Si alter in hæresim, vel apostasiam incidat, & monitus in errore persistat. Tunc potest innocens ingredi Religionem. c. fin. b. t. L. 13. tit. 7. p. 1. 3. & præcipue si ambo conjuges mutuo consensu Religionem ingrediantur: vel saltem unus consentiat, quod alter fiat Religiosus: Sed tunc conjux relictus, si juvenis, & suspectus de incontinentia sit, debet etiam Religionem ingredi. c. 21. 27. q. 2. c. 1. c. 13. b. t. L. 40. tit. 6. p. 1. L. 11. tit. 7. p. 1. Si tamen conjux relictus senex, & de incontinentia non sit suspectus, sat esse, quod votum simplex continentie emitat, c. 4. c. 9. c. 18. b. t. Quod si senex de incontinentia suspectus sit, ingredi Religionem prorsus debet: & idem est de juvene, quantumvis honestæ vitæ sit, & in periculum absit incontinentie. c. 1. b. t. Sanch. de Matr. lib. 7. D. 32. ex n. 9. & hodie in praxi servatur, quod ad talem mutationem licentia Episcopi accedat. c. 23. 27. q. 2.

q. 2. non tamen requiritur ad professionis vltorem. *Sancti ubi supra. n. 3. Gona. in c. 1. h. t. n. 5.* Sed quamvis requiratur, quod conjux in saeculo manens, vel Religionem ingrediatur, vel continentiam voveat modo dicto, non tamen adeo necessarium est, ut si non fiat, professio alterius invalidetur, cum nullo iure talis nullitas probetur: quin de eius valore constat in c. 21. 27. q. 2. c. 9. h. t. *Sancti de Matr. lib. 7. D. 33. n. 4. & alij.* Si uxor, de cuius licentia maritus est professus, votum continentiae emisit, cum suo iuri jam cesserit, nequit maritum postea revocare. c. 1. b. t. si tale votum non emisit, & scit, virum non posse profiteri, quin ipsa, vel continentiam voveat, vel Religionem ingrediatur: per ipsum factum licentiam concedendi marito, censetur, se obligasse ad id, quod ad talem professionem est necessarium, scilicet, vel continentiam vovere, vel Religionem ingredi, ac per consequens, ad id tenetur, nec potest maritum revocare; *arg. L. 2. ff. de Jurisdic. Si tamen huiusmodi juris ignara extitit, cum non credatur ei renuntiatum, potest maritum revocare, qui proinde poterit debitum reddere, non autem petere: quin & uxore mortua, tenetur ad Monasterium redire, cum professio adhuc liget. c. 9. b. t. D. Bonav. Greg. Lop. & alij cum Sancti de Matr. lib. 7. D. 33. ex n. 5.* Ut tamen alter conjugum post matrimonium consummatum possit Religionem ingredi, & in ea profiteri, non sufficit consensus tacitus ob arduitatem materiae, & ob magnitudinem praedicti. *Sancti de Matr. lib. 7. D. 35. n. 13.* licet contrarium dici videatur in L. 40. tit. 6. p. 1. Requiritur ergo consensus expressus, & quidem omnino liber à metu gravi, & dolo: sicut ad ipsum matrimonium requiritur. c. 14. de Sponsalib. nam contrariorum eadem est ratio. L. 1. ff. de his, qui sui. Si enim gravi, & iniusto metu, vel dolo extorqueatur consensus, professio in vim professionis invalida est. c. 2. 33. q. 5. c. 17. b. t. & post talem professionem, utpote nullam liberè ad saeculum talis Religiosus redire potest. Valet tamen in vim simplicis voti continentiae. c. 3. c. 12. b. t. quia praesumitur, nisi aliud probetur, talem voluisse, se obligare in quantum potuit, ac proinde simplicis voto continentiae; *arg. c. fin. de Desponsat. impuber.* & sic professus, ne iure suo privet conjugem invitum, potest ab eo revocari: sed cum voto continentiae praesumatur ligatus, licet debitum teneatur reddere, non tamen illud petere va-

let. L. 40. tit. 6. p. 1. l. 11. tit. 7. p. 11. Quod si ambo conjuges mutuo consensu voto simplici castitatis ligati inveniantur, adhuc neuter potest altero invito Religionem ingredi; *arg. c. 4. 33. q. 5.* nam per tale votum solum liberantur ab obligatione reddendi debitum, non tamen à mutua cohabitatione, & alijs conjugalibus obsequijs: aliud est, si & his cesserunt, ut in c. 20. b. t. Quod si ambo conjuges, non obtenta mutua licentia, Religionem profiteantur; si alter alterius professionis conscius fuit, neuter alterum revocare potest, cum factio ipso mutua facultate sibi ambo dedidit censentur. Si tamen utraque fuerit inficius professionis, cum utraque professio fuisset invalida ex defectu licentiae, uterque potest Religionem dimittere, & conjugem repetere. *Sancti de Matr. lib. 7. D. 34. n. fin.*

TIT. XXXIII.

De Conversione infidelium.

309 **N**omine infidelium veniunt in praesenti illi, qui numquam baptismum susceperunt, ut Mauri, Iudei, & Pagani: nam hi verè ad fidem Christianam dicuntur converti. Haeretici tamen qui fidem in baptismo susceptam deseruerant, ad fidem reverti dicuntur. De his igitur in praesenti statuitur: quod si vir infidelis maritum uxoris fidelis occidat, ejusdem uxoris machinatione cooperante, & ad fidem postea convertatur, non potest talis infidelis occidens cum tali muliere contrahere: quippe inter eos impedimentum dirimens invenitur. Et quidem etiam si adulterium non praecesserit, & etiam si hoc fiat, ut infidelis per tale matrimonium ad fidem convertatur: nam tale damnum tali luero Ecclesia compensare non vult. c. 1. b. t. Si vero infidelis sine machinatione, sed in bello, vel rixa alium occidat, nullum est impedimentum, ut postea ad fidem conversus cum tali muliere contrahat matrimonium. c. 1. b. t. *arg. L. 19. tit. 2. p. 4.* Profectò: licet Jure Civili filij potestati, & cura patris, non verò matris subiaceant. §. fin. *Inst. de Patr. potest.* tamen Jure Canonico attento, parenti fideli, sive pater, sive mater sit, relinquenda est proles communis (quae adhuc non est doli capax) in favorem Religionis, & fidei, ne ab infideli parente pervertatur: Nam summa est ratio, quae pro Religione facit. L. 43. ff. de Religiof. &

potest talis, filius à parente fideli, etiam altero reclamante, baptizari. c. fin. b. t. c. 10. 28. q. 2. Si doli capax sit in sua relinquatur libertate: quippe nemo invitus fidem suscipere cogitur. c. 5. D. 45. c. 9. de Judais.

TIT. XXXIV.

De Voto, & voti redemptione.

310 **V**otum aliquando sumitur pro voce, seu suffragio, quod aliquis habet in Capitulo ad electionem. c. 2. de Election. in 6. aliquando pro desiderio, quod quis habet. L. 15. ff. de Inoffic. testam. aliquando pro proprio velle juxta illud. Velle suum cuique est, nec voto vivitur uno. In praesenti tamen accipitur pro quadam Lege privata, quam quis sibi imponit ad aliquid faciendum, vel omittendum, dandum, vel praestandum: & id, quod promittitur dicitur materia voti, & secundum eam dicitur votum affirmativum, vel negativum, temporale, vel perpetuum. Sed praecipue dividitur in reale, personale, & mixtum. Reale igitur est, quo res externa promittitur, ut elemosyna. Personale est illud, quo actio, vel omisio actionis hominis propria promittitur, ut peregrinatio, vel jejunium. Mixtum est, quando utrumque promittitur. Votum etiam commune, & necessarium solet appellari quale scilicet est, quando materia voti ab omnibus ex necessitate praecipi observanda est: tale dicitur quod fit in baptismo Legem Christi servandi. L. 1. tit. 18. p. 1. licet hoc in rigore non sit votum: ad cuius distinctionem dicitur votum singulare, & liberum, quando materia voti solum ex consilio debetur: v. g. votum castitatis, vel peregrinationis, & hoc sanè proprie votum est: nam ut ait D. Thom. 2. 2. q. 88. art. 1. ad 2. Voluntas movet rationem ad promittendum aliquid circa ea, quae ejus voluntati subduntur: & pro tanto votum à voluntate accipit nomen, quasi à primo movente. Votum ergo sic communiter definitur: est deliberata promissio Deo facta de meliori bono. L. 1. tit. 8. p. 1. ibi: Voto tanto quiere decir, como promessa, que ome face à Dios. E estonce ha este nome verdaçeramente, è debe ser guardado, quando es fecho por algum bien, que se torne à servico de Dios. D. Thom. 2. 2. q. 88. art. 1. & 2. dicitur promissio: quia ex voto nascitur obligatio illud adimplendi. Deut. 23. v. 21. *Israh. 75. v. 12. Num. 30. Tom. 1.*

v. 3. *Eccles. 5. v. 3. ibi: Si quid voti fuerit Deus, ne moreris reddere: displicet enim ei infidelis, & stulta promissio.* Quia licet nemo vovere teneatur, post votum tamen illud adimplere tenetur. c. 6. b. 1. L. 1. tit. 8. p. v. D. Thom. 2. 2. q. 88. art. 3. ibi: Maxime autem debet homo Deo fidelitatem, tum ratione dominij: tum etiam ratione beneficii suscepti: & ideo maxime obligatur homo ad hoc, quod implet vota Deo facta: hoc enim pertinet ad fidelitatem, quam homo debet Deo. Fraetio autem voti est quadam infidelitatis species. Unde Salomon rationem assignat, quare sint vota reddenda: quia displicet Deo infidelis promissio. Et quidem haec obligatio erit gravis, si materia gravis sit, & talis sit voventis intentio: erit tamen levis, si materia levis sit, vel talis sit voventis intentio. Votum etenim, sicut & contractus ab initio voluntatis est, ex post facto tamen necessitatis. L. 5. C. de O. & A. si enim homini fides servanda est, quanto magis Deo? ut nervose ponderat Rex N. Alfonso in Pr. tit. 8. p. 1. *E si esto es en las promisiones, que los omes facen entre si, quanto mas en las que facen à Dios?* In hac igitur obligatione differt votum à proposito, nam hoc quantumvis efficax obligationem non inducit, c. 3. b. t. nisi forte propositum non sit simplex, sed conjunctum cum intentione se obligandi: nam tunc utique obligat. c. 20. de Regularib. *Suar. de Vot. lib. 1. cap. 2.*

311 Qui votum emittit, & solum vult se obligare ad veniale, ad id solum tenetur, etiam si materia gravis sit: quod si nec ad veniale obligari velit, sed tantum ad poenam, ad poenam tantum tenebitur, quia cum votum sit quadam Lex privata, potest quis modo, quo velit se obligare: nec actus agentium ultra agentium intentionem operari valent. L. 19. ff. de Rebus credit. in dubio tamen obligatio voti cum gravitate, vel levitate materiae commensuratur. Non tamen posse voventem sub gravi se obligare quando materia est levis ob materiae improprietatem tenent communiter DD. nisi ratione circumstantiarum fiat gravis *Sancti in Decal. lib. 4. cap. 12. n. 6.* Qui vovit quotidie recitare *Salve Regina*, cum materia sit parva non peccat graviter, si semel, vel iterum omitat: imo est si toto anno omitat, esse tantum veniale, quia materia non coalescunt, tenent *Diana, Soto, & alij.* Ob contrariam tamen rationem, qui singulis diebus vovit elemosynam, etiam modicam, dare, graviter peccat si pluribus diebus non det elemosynam: quia materiae coales-

eunt. Si votum, etiam grave, non adimpleatur in parva materia non erit peccatum grave. *Alloz. in Sum. V. Votum, sect. 1. num. 34.* Dicitur in definitione voti *promissio deliberata*: nam voti promissio non debet esse ficta, sed vera, animo se obligandi facta: nec sufficit ad votum motus primo primus, nec secundo primus, sed est necessaria deliberatio plena. *L. 1. et. 8. p. 3. ibi: Pro eo que esto fieri, debet ante pensari in illo, et non lo facer arrebatamente. Alloz. V. Votum, sect. 1. n. 2.* Sufficit tamen ad votum, si vovens habeat animum se obligandi, licet sine animo adimplendi, cum hæc separabilia sint. Qui verò votum emisit sine animo se obligandi peccat, sed non manet obligatus: quia cum apponat conditionem contra voti substantiam censetur nolle vovere; *arg. c. fin. de Condition. Apposit. intervenire igitur in tali promissione debet ea advertentia, & deliberatio, quæ ad peccatum mortale sufficeret: qui enim potest se per culpam diabolo obligare, non poterit se obligare Deo per votum: Suar. de Voto, lib. 1. cap. 4. & 6. Navarr. & alij. Dicitur Deo facta: quippe votum est actus latræ, seu Religionis, quo Deum immediatè colimus: sicque vota, quæ Sanctis fiunt, Deo in memoriam talium Sanctorum fieri censentur, sicut templa, & Altaria quæ nomine eorum eriguntur. *D. Thom. 2. 2. q. 88. art. 5. Suar. de Vot. lib. 1. cap. 16. n. 5. Sanch. in Decal. lib. 4. cap. 1. n. 41.* vota etenim non solum Christiani, sed etiam Ethnici suis Dijs faciebant, & solvebant, tamquam suæ Religionis obsequia. Sic apud *Virgil. Æneid. lib. 5. Cloanthus ait: In litore taurum consistit ante aras voti reus, extæque salos porriciam in fluctus, & vina liquentia fundam.* Ubi obiter notandum est, quod voti reus dicitur, qui suscepto sub conditione voto, se Numini obligat: qui illud solvit, dicitur absolutus, qui illud non solvit damnatus nuncupatur. Additur præterea in definitione voti: *de meliori bono*: quia materia voti non solum debet esse possibilis, licita, & honesta, sed etiam de meliori bono, hoc est, quod sit melior, ac Deo gratior, quam ejus oppositum. *D. Thom. 2. 2. q. 88. art. 3.* Et licet matrimonium secundum se non sit materia voti, cum impediatur majus bonum, religionem videlicet, & cælibatum; tamen quando hic, & nunc est majus bonum matrimonium, quam oppositum, potest absque dubio matrimonium voveri: v. g. si puella corruptæ data sit fides de matrimonio, vel quando ob carnis ardorem inextinguibili*

dem hoc medium censetur convenientius ad vitanda peccata: vel quando matrimonio ob bonum religionis fidei, & pacis inter Principes Christianos expedit celebrari. Vel quando alias contracturus matrimonium vovet cum puella paupere ad ejus inopiam sublevandam matrimonium contrahere. *c. 20. de Sponsalib. Suar. de Voto, lib. 2. cap. 9. ex n. 8. Sanch. in Decal. lib. 4. cap. 8. n. 51.* Si res per votum promissa sit indifferens, non valet votum, nisi fortè sumatur, ut medium ad finem bonum. Vota, quæ sunt de rebus vanis, & inutilibus sunt magis deridenda, quam servanda. Votum nullo genere venialium peccandi, ut de materia moraliter impossibili non valet. Votum, quod S. Theresia emisit efficiendi semper quidquid perfectius esse intelligitur, fuit maxime arduum, & Deo consiliante fuit factum, ut in Breviario notatur: quod cum specialis gratiæ impulsu fuisset emissum, non debet ad consequentias trahi; *arg. L. 14. ff. de Legib. Validum tamen est votum non peccandi graviter, nec etiam venialiter in aliquo genere: nam hoc per vires gratiæ possibile est, non tamen facile consulendum ob transgressionis periculum. Suar. de Voto, lib. 2. cap. 3. ex n. 2. Sanch. in Decal. lib. 4. cap. 5. ex n. 10.* quando verò materia ex se est capax voti, magis meritorium est, ex voto facere, quam sine illo, quia sic pertinet ad divinum cultum, & sique ille actus religionis, & latræ, quæ est præcipua inter virtutes morales. Et sic vovens plus se Deo subicit, quam ille qui sine voto facit. Subjicit enim se Deo, non solum quantum ad actum, sed etiam quantum ad potestatem; quia de cætero non potest aliud facere, sicut plus daret homini, qui daret ei arborem cum fructibus, quam qui daret ei fructus tantum, ut dicit. *D. Anselm. Sic D. Thom. 2. 2. q. 88. art. 6. in corp.*

312 Si quid malum, vel turpe promittatur, non obligat votum, teste D. I. Idor. *in c. 5. 22. q. 4. ibi: In malis promissionibus rescindit fidem, in turpi voto muta decretum: quod incautè vovisti ne facias: impia enim est promissio, quæ seclerè adimpletur. L. 1. tit. 8. p. 1.* quod optimè explicat *D. Thom. 2. 2. q. 88. art. 2. ad 2. ibi: Quædam sunt, quæ in omnem eventum sunt bona, sicut opera virtutis, & talia bona, quæ possunt absolute cadere sub voto: quædam verò secundum se sunt peccata, & hæc nullo modo possunt sub voto cadere: quædam verò sunt, quidam in se considerata bona (& secundum*

hoc possunt cadere sub voto) possunt tamen habere malum eventum, in quo non sunt observanda: & sic accidit in voto *Septuaginta qui, ut dicitur Judic. c. 11. v. 3. & 31. votum vovit Dominus, dicens, si tradiderit filios Amon in manus meas, quicumque primus egressus fuerit de foribus domus meæ, mihi que occurrerit revertenti in pace, eum offeram holocaustum Domino. Hoc autem poterat malum eventum habere, si occurreret ei aliquid animal non immolandum, sicut asinus, vel homo, quod etiam accidit: unde, & Hieronym. dicit: in vovendo fuit stultus, & in reddendo impius. Præmittitur tamen ibidem, quod factus est super eum Spiritus Domini: quia factus, & devotio ipsius, ex qua motus est ad vovendum fuit à Spiritu Sancto: propter quod ponitur in Catalogo Sanctorum, & propter victoriam, quam obtinuit, & quia probabile est, eum penitus defacto iniquo, quod tamen aliquid bonum figurabat. Quod finis rei promissæ est malus non valet votum, cum sumatur, ut medium ad finem malum: v. gr. si quis eleemosynam voveat, ut injustam rem consequatur: valet tamen, si finis tantum voventis malus sit, cum ejus malitia in rem promissam non refundatur: v. g. si quis voveat eleemosynam ob vanagloriam. *Suar. de Voto, lib. 2. c. 4. n. 3. & 4. Sanch. in Decal. lib. 4. cap. 6. n. 13.**

313 Votum ex parte promissionis est vel absolutum, quod scilicet statim, independenter ab aliquo eventu obligat: vel conditionale, cujus obligatio ab impletione alicujus conditionis futuræ, & contingenti dependet. Item: aliud est expressum, quod scilicet voce, signo, vel nutu declaratur. Aliud tacitum, quod scilicet emittitur aliquid faciendo, cui est annexum votum: v. g. qui Sacros Ordines suscipit, votum continentia ipsi annexum emittit censetur. Sed celeberrima voti divisio est in *solemne, & simplex. Solemne* liquidem est, quod ab Ecclesia ut tale acceptatur: & in hac acceptance, seu dispositione Ecclesiæ ejus solemnitas stat. Estque perpetuum, si ab Ecclesia non dispensetur, & voventem inhabilem reddit ad actus voto oppositos. Tale est votum solemne professionis religiosæ, & votum continentia Sacris Ordinibus annexum. *c. 1. h. t. in 6. L. 2. tit. 8. p. 1. & ibid. Greg. Lep.* Votum simplex est, quod prædicta caret solemnitate; cujusmodi sunt cætera omnia vota. *L. 2. tit. 8. p. 1.* Et certè qui libet potest Deo votum facere, nisi specialiter prohibeatur, cum hoc sit obsequium, quod tamquam Religionis actus

Deo Authori omnium bonorum justè præstat. Vovere tamen ex defectu rationis prohibentur furiosi, amentes, & nescientes. Item infantes in foro externo, in interno autem, secundum eorum capacitatem discurrendum est. Episcopus nulla vota realia, nec personalia, quæ ejus officio obitent, ut longa peregrinatio, vel ingressus Religionis; emittere valet sine Pontificis licentia, cum non possit solvere etiam prætextu pietatis vinculum, quo Ecclesiæ adstringitur, nec sui muneris adimplerioni deficere valeat. *c. 18. de Regularib. L. 3. tit. 8. p. 1.* Votum professionis emissum à Novitio ante decimum sextum annum atatis, & ante completum probationis annum à jure irritatur. *Trid. sess. 25. de Regular. cap. 15.* Impuberes, Minores, Conjugati, & Religiosi, licet possint valide vovere de materia non prohibita sine licentia parentum, Tutorum, Curatorum, Conjugum, & Superiorum, non tamen prædicta vota sine prædictorum licentia habent omnimodam firmitatem ex defectu libera voluntatis, ac proinde possunt irritari. *L. 3. tit. 8. p. 1. & ibid. Greg. Lep.* ubi textus Canonicos concordantes cum varijs limitationibus ponit.

314 Qui facta sufficienti inquisitione adhuc dubitat, an emisit votum, ad illud non tenetur: siquidem suam possit libertatem, & in dubio melior est conditio possidentis. *c. 65. de Reg. jur. in 6. Sanch. de Matrim. lib. 2. D. 41. n. 32.* si verò quis certus sit de voto, dubitet tamen, an habuerit animum se obligandi, vel sufficientem deliberationem, vel an votum valeat: cum jam defacto constat, & possessio pro voto sit, præsumitur legitime factum; *arg. c. 8. de Probation. Sanch. n. 13.* idem, ex eadem ratione, dicendum est, si cum de voto, & ejus valore constet, dubitet vovens, an adhuc obliget. Qui rem in genere vovit, non exprimendo nec quantitatem, qualitatem, licet attentò Jure Civili, talis promissio ob incertitudinem vitaretur. *L. 94. l. 95. ff. de V. O. de Jure tamen Canonico ob favorem causæ piæ sustinetur, cum jam de voto constet, & sit honestum, & possibile: sufficit tamen, quod præstitit res in quantitate, vel qualitate utili, licet non sit major, nec melior in illa linea. Sic in c. 18. de Censib. cum S. Pontifex consuleretur circa mensuram tribuendam ob votum factum Divo Jacobo Compostellano, respondit, sufficere ad votum adimplendum, si minima mensura tritici reddatur, cum in ea votum verificetur; *arg. L. 75. ff. de Legat. 3. & c. 30.**

de Reg. jur. in 6. ibi: In obscuro minimum est sequendum: nisi aliud consuetudine sit introductum, nam secundum eam mens voventis interpretatur; arg. c. 8. de Consuetud. Quod si votum pro tempore designato fiat, tempore adveniente implendum est, nisi iusta causa excuset. c. 5. h. t. v. g. si ex dilacione facilius, & melius spectetur adimplendum. Sanch. in Decal. lib. 4. cap. 14. n. 8. Si absque temporis designatione fiat, impleri debet cum primum potest, prudentis iudicio, sine incommodo notabili, attentis circumstantiis. Deut. 23. v. 21. ibi: Cum votum voveris Domino Deo tuo, non tardabis reddere: quia requirit illud Dominus Deus tuus, et si moratus fuerit reputabitur tibi in peccatum. D. Thom. 2. 2. q. 88. art. 3. ad 3. Suar. de Vot. lib. 4. c. 12. ex n. 6. Sanch. in Decal. lib. 4. cap. 14. ex n. 4. Nam in omnibus obligationibus, in quibus dies non ponitur, presenti die debetur. L. 14. ff. de Reg. jur. spatium tamen, in quod adimpletio possit differri prudentis iudicio, taxandum est. L. 13. l. 105. ff. de Solutioib.

315 Obligatio voti adeo personalis est, ut solum voventem ad voti impletionem obliget, cum sit Lex privata, quam ipse sibi imponit. Hinc non potest voveri factum alienum, sed tantum diligentia, vel conatus, ut fiat. Suar. de Voto, lib. 2. cap. 1. n. 7. Sanch. & alij: & licet votum personale, in quo actio voventis propria est promissa, non possit per alium adimpleri, tamen quando votum est reale, potest per Procuratorem adimpleri, vel per alium, qui loco voventis hoc facere velit. Idem est de voto mixto, quatenus votum reale continet: quia cum materia voti sit voventi extrinseca, eodem modo satisficit obligationi voti, si ab ipso vovente, vel ab alio adimpleatur, sicut accidit in solutione debiti. Si vero vovens ex aliqua causa, etiam sua culpa non possit votum adimplere, etiam hoc reale sit, non tenetur illud per alium adimplere, nisi ad hoc faciendum se voluit obligare. Suar. de Voto, lib. 4. cap. 10. n. 10. Sanch. in Decal. lib. 4. cap. 15. ex n. 3. Nec alij prater voventem voto tenentur: v. gr. filij, heredes, vel successores, nisi ipsi voto se obligassent, ut in c. 6. h. t. Quando Magistratus, vel major pars communitatis aliquod votum emittunt, subditi, vel successores non consentientes voto, non tenentur ad ipsum; si tamen auctoritas Episcopi accedat, omnes, non ad votum, sed ad materiam voti ex Lege Ecclesiastica obligantur. Infans, dum baptizatur, non

tenetur ex voto ad Fidem Catholicam, sed ex Lege Divina obligante ex suppositione susceptionis in baptismo. Hares non tenetur testatoris vota personalia, nec mixta, quatenus actionem personalem continent, adimplere, nisi, & ipse in hoc consentiat: siquidem eo quod sint personalia personam tantum naturalem, non vero personam civilem testatoris ligant. Tenentur tamen heredes vota realia testatoris, & etiam mixta, quatenus realia, adimplere. c. 18. de Consib. c. 6. de Testam. c. 6. b. t. l. 2. ff. de Pollicit. nam adeundo hereditatem suscipiunt obligationes, & onera realia ipsi annexa, inter quae sunt talia vota. Suar. de Voto, lib. 4. cap. 11. Sanch. in Decal. lib. 4. cap. 15. ex n. 22.

316 Redemptio voti, de qua in secunda parte Rubricae, licet proprie commutationem significet, latius tamen sumitur pro quocumque modo, quo obligatio voti cessat. Et quidem 1. cessat voti obligatio per dispensationem a legitimo Superiore factam, consensu tertij, cui jus per votum adquisitionem est, interveniente; debetque adesse causa iusta verè talis, nec sufficit, bona fide credi iustam; aliter non tenet dispensatio: nam cum sit remissio nomine Dei facta, non potest Deo placere, si irrationabilis sit, recteque gubernationi prajudicet. Nec enim Prælati conceditur, teste Apostolo, potestas ad destruendum, sed tantum ad ædificandum. Qui verò facultatem dispensandi habet, etiam habet ad commutandum, cum commutatio sit pars dispensationis; non verò è contra. Pontifex sanè ex absoluta potestate ligandi, atque solvendi Divo Petro, & ejus in Cathedra successores concessa, potest in omnibus votis dispensare. Et quidem solus in quinque reservatis, videlicet: castitatis, Religionis, peregrinationis in Terram Sanctam, ad Limina Apostolorum, & ad Sanctum Jacobum Compostellanum in Hispania. c. 7. b. t. l. 4. l. 5. tit. 8. p. 1. Nam hæc quinque vota specialitè R. Pontifici sunt reservata. Extrav. in de Penitent. int. com. possunt tamen inferiores Prælati, vel etiam Confessarii in his votis dispensare ex privilegio Apostolico, vel ex delegatione, vel ex consuetudine legitime præscripta, vel etiam quando necessitas urget, vel est periculum in mora, nec datur facilis ad Papam recursus, vel ad aliam hac facultate gaudentem, vel si vovens tantum sub veniali se obligavit: vel si dubitatur, an verè sit reservatum, vel non. Quod si prædicta vota non sint in suo genere perfecta, non censentur reservata.

v. g.

v. g. si quis vovit castitatem ad tempus certum, vel ex certo tempore: vel si vovit non peccare contra castitatem, vel si disjunctive castitas, vel jejuniu promittatur: vel si fiat votum ingrediendi Religionem non approbatam, vel peregrinandi Romam, Terram Sanctam, vel Compostellam alio, quam devotionis sine: vel si metu, etiam levi, injustè incussò aliquod ex his votis extorqueatur. Talia enim vota non sunt perfecta in sua linea, ac proinde nec reservata. Sanch. in Decal. lib. 4. cap. 40. ex n. 24. eadem ratione non sunt reservata hæc vota, si sub conditione contingente in futurum (secus, si sub conditione necessaria, vel contingente quidem, sed de præterito, vel præteriti) emittantur: nam majori affectu in conditionem, sub qua, quam in materiam, de qua sunt, emitti creduntur, nec reservata manent adhuc impleta conditione: ut contra Sot. de Jus. lib. 7. q. 2. art. 2. Gutierr. qq. Canon. lib. 2. cap. 22. n. 51. Ponz. de Matrim. lib. 8. cap. 9. n. 7. tenent Sanch. de Matrim. lib. 8. D. 10. n. 8. Toled. in Sum. lib. 4. cap. 18. Palacios, Medin. Valent. & alij: quia conditionis impletio obligationem perficit; non verò consensus, nec modi promittendi imperfectionem mutat. Episcopi, alijque Prælati jurisdictionem quasi Episcopalem habentes, possunt in votis non reservatis dispensare cum suis subditis, non verò cum alijs: Prælati Regulares, etiam dispensare possunt cum Religiosis: imò & cum Novitijs: Nam licet non habeant in ipsos potestatem dominativam, habent tamen jurisdictionem spiritualem Ecclesiasticam, in qua potestas dispensandi fundatur. Sic contra alios tenent Suar. de Voto, lib. 6. cap. 11. n. 8. Sanch. in Decal. lib. 4. cap. 36. n. 17. Navarr. & alij. Cause justæ ad dispensandum sunt defectus libertatis in vovente, vel ex puerili ætate, vel ob passionis vehementiam, vel metum: vel si ex voto timeatur ruina spiritualis ipsius voventis ob ejus fragilitatem: vel si ejus intentio sit dubia, vel si erravit in causa impulsiva, vel si hæc, vel etiam finalis ex parte cesset. Suar. de Voto, lib. 6. c. 17. ex n. 8. Sanch. in Decal. lib. 4. cap. 45. ex n. 26.

317 2. Cessat voti obligatio per commutationem; sicut enim in Lege veteri, in qua non minus præceptum Domini obligabat, quam votum hodie obligat in Ecclesia, primogenita, quæ Domino mandabantur offerri, quædam redimebantur, & quædam commutabantur in aliud, sicut primogenitum asini, qui pro ove commu-

tabatur; sic etiam hodie votum commutari in aliam rem potest. c. 7. h. t. Commutatur siquidem, quando loco rei promissæ alia subrogatur. Et cum hæc sapiat naturam ejus in cujus locum sufficitur, loco ejus profectò debet adimpleri; arg. c. 3. c. 4. Ut lite pendet, quod si vovens, primum votum adimplere velit, etiam post commutationem hoc valet facere: cum commutatio sit facta in ejus favorem, ac proinde ita intelligitur illud, si ei placuerit; potestque illi hac ratione renuntiare. L. 29. C. de Pactis: quod si materia, in quam fuit commutatum votum, factim possibilis, vel indifferens, non tenetur vovens adimplere primum votum; siquidem ejus obligatio per commutationem fuit extincta. Quilibet potest propria auctoritate votum in melius commutare. c. 4. b. t. l. 3. tit. 8. p. 1. nec enim promissum infringit, qui in melius illud commutat. c. 3. de Jur. jur. quia sic censetur melius voluntatem Dei adimpleri, qui cerè vult homines in virtutibus crescere. L. 3. tit. 8. p. 1. Suar. de Voto, lib. 6. cap. 18. ex n. 4. Sanch. in Decal. lib. 4. cap. 49. n. 4. Hinc votum castitatis non potest propria auctoritate commutari, quia non commutaretur in melius bonum. L. 4. tit. 8. p. 1. Nam ut dicitur Ecclesiast. 26. v. 20. Omnis ponderatio non est digna continentis animæ, & castitati antonomastice attribuitur decore, & virginitati attribuitur excellentissima pulchritudo. D. Thom. 2. 2. q. 152. art. 5. in corp. cum ergo quodlibet votum in melius valeat commutari, omne votum absdubio commutari valet in votum Religionis. Nam tunc temporale obsequium in perpetuum Religionis observantiam commutatur. c. 4. b. t. l. 7. tit. 8. p. 1. ibi: Porque sin duda ninguna tal prometimiento es mejor que otro. Et ex hac regula deducunt Rodrig. Enriq. & alij, eum qui Religionem vovit, post hoc voto non impleto, acceptare Episcopatum: nam tunc in melius commutaret votum, cum Episcopatus sit perfectior statu Religioso. Episcopus enim perfectus esse debet, Religiosus tamen ad perfectionem debet aspirare. c. 18. de Regular. Sed hoc non obstante, dicendum est, quod Religionem vovens, Religionem ingredi debet, etiam in Episcopatum sit electus, sed nondum vinculo conjugij spiritalis ligatus: secus si est consecratus, vel etiam confirmatus à Sede Apostolica. Et quidem Religionem debet ingredi, non ex consilio tantum, ut tenent Rodrig. & alij, sed ex præcepto, ut constat ex c. 10. b. t. ibi: Si tuam sanare desideras conscientiam.

Et

Et ibid. Gonz. nam licet Episcopatus secundum se perfectior sit statu Religioso. *c. 18. de Regular.* non tamen est perfectior secundum media: nam in Religione media ad perfectionem consequendam sufficientia, & efficacia apponuntur; secus in Episcopatu, in quo jam supponitur perfectio. *Suar. de Relig. tom. 3. lib. 1. c. 19. num. 3. Saneb. in Decal. lib. 4. c. 17. n. 5.* imò, ex humilitate potest quis votum facere non admittendi Episcopatum, ut faciunt nostræ Societatis professi. Ut verò votum in minus bonum commutetur, Superioris autoritas requiritur, & quidem illius, cui hæc competat facultas. Tales sunt R. Pontifex, Episcopi, alij Prælati jurisdictionem quasi Episcopalem habentes, vel etiam illi, quibus ex privilegio, commissione, vel consuetudine hoc sit concessum. *c. 1. c. 7. b. t. l. 6. tit. 8. p. 1.* Si in bonum æquale, votum commutetur, neminus bonum pro meliori substituitur, cum hoc distinguere, sit difficile, requiritur superioris autoritas. *Suar. de Voto, lib. 6. cap. 19. n. 3. Saneb. in Decal. lib. 4. cap. 49. n. 12. & alij, contra Rodrig. Henrig. & alios.* Nostræ Societatis Religiosi, & qui horum privilegiorum communicatione gaudent, possunt in confessione, vel extra, omnia vota, etiam jurata, absque tamen præjudicio tertij commutare, quinque reservatis exceptis. Præterea quilibet Confessarius approbatus potest in confessione, vel extra commutare (non verò dispensare) omnia vota, etiam jurata, vel etiam ipsa juramenta sine voto, virtute Bullæ Cruciatæ, tribus exceptis, videlicet, castitatis, Religionis, & ultramarino in Terram Sanctam peregrinandi. Nec est necessaria alia causa ad hanc commutationem, præter eam, quæ imbitur in ipsa facultate, seu exercitio commutationis, scilicet, quod tribuatur aliqua elemosyna, taxanda arbitrio Confessarii ad subveniendum ipsi Cruciatæ: quod si elemosyna non sit possibilis votenti, potest aliud opus imponi: v. gr. oratio in subsidium Cruciatæ: potest etiam commutari per Bullam votum aliquid faciendi, & non petendi commutationem illius, & etiam fiat cum intentione tale votum reservandi R. Pontifici. Siquidem privatus non potest derogare juri, quod pro his casibus concedit Cruciatæ; *arg. L. 38. ff. de Pactis, Clausula Bullæ sic sonat: Podrà tambien dicho Confessor comutarles qualesquiera votos, aunque sean con juramento, dando la limosna que pareciere, en favor, y benefi-*

cio de la Bula de la Santa Cruzada, exceptos los de Castidad, Religion, y Ultramarino: de quo latè Mendo in Bull. Cruciat. D. 20. & alij.

318 Irritatione, etiam cessat obligatio voti. Hæc irritatio est duplex alia directa, indirecta alia: directa est, quæ votum tollit ob subjectionem votentis ad irritantis voluntatem, & hæc proprie est irritatio: indirecta est, quæ impedit rei promissæ executionem, & potius, quam irritatio est suspensio. Pater igitur, & in ejus defectu, avus paternus, ob patriam potestatem; & in utriusque defectu, Tutor, qui loco patris succedit: & in hujus defectu, mater possunt impuberis vota directe irritare. *c. 2. 20. q. 2.* impuberes enim ob judicij imbecillitatem in obligationibus assumendis patris gubernationis subijciuntur. *L. 3. tit. 8. p. 1.* posttunc prædicti impuberum vota irritare, etiam tempore, quo jam sunt puberes, nisi tunc vota ratificent. Siquidem in his obligationibus principium inspicitur. *Saneb. in Decal. lib. 4. cap. 30. ex n. 7.* E contrario autem cum puberes jam sufficientis animi judicium habeant, in votis attendendis nullius voluntati subijciuntur, nisi quatenus talia vota juri patris, ac gubernationis domesticæ præjudicant, ac proinde tunc non directe, sed indirecte tantum à parentibus valent irritari. *c. 2. 20. q. 2. L. 65. §. 1. C. de Episcop. & Cleric.* Hinc est, quod non possint a patre irritari vota castitatis, Religionis, jejuniij, & alia hujusmodi à filiis facta, nec ea, quæ de bonis Castrensibus, vel quasi Castrensibus à filiis emittuntur, nec alia, quæ filij jam extra patriam potestatem constituti emittunt: si quidem in his patri non subijciuntur, nec patris juri præjudicium generant. *Saneb. in Decal. lib. 4. cap. 35. n. 41.* Prælati Regulares, scilicet, Provinciales, Guardiani, Abbates, Priores, vel Rectores (secus Subpriors, Ministri, & alij, qui non proprio, sed alieno nomine gubernant) omnia vota suorum subditorum possunt irritare directe: quia Religiosus velle, & nolle non habet. *c. fin. de Testam. in 6.* Sed hoc pendet à voluntate Superioris, quem Vice Dei tamquam caput accepit. *c. 27. de Elest. in 6. L. 3. tit. 8. p. 1. D. Thom. 2. 2. q. 88. art. 8. ad 3. & 4. Suar. de Voto, lib. 6. cap. 7. n. 3. Saneb. in Decal. lib. 4. c. 33. ex n. 4.* tamen non potest Superior irritare vota substantialia Religionis, vel si ali-quod votum speciale habet Religio: cum potius in eorum observatione tamquam

bonus Pastor, & diligens Paterfamilias debeat in vigilare: nec item irritare valet votum transeundi ad Religionem strictiorem, cum in hoc non dependeat subditi à suo Superiore. Abbatissa tantum irritant vota Monialium, quatenus domesticæ gubernationis præjudicant. *Saneb. in Decal. lib. 4. cap. 33. n. 19.* Vota omnia, quæ fuerunt emissa à Religioso ante ingressum, in votum Religionis ipso jure commutantur, quando fit professio. *c. 4. b. t. & ibid. Gonz. rationem affert D. Thom. 2. 2. q. 88. art. 12. ad 1. ibi: Omnia alia vota sunt quorundam particularium operum, sed per Religionem homo totam vitam suam Dei obsequio deputat: particulare enim in universali includitur, & idè Decretalis dicit, quod reus voti fracti non habetur, qui temporale obsequium in perpetuam Religionis observantiam commutat: nec tamen Religionem ingrediens tenetur implere vota vel jejuniarum, vel orationum, vel aliorum hujusmodi, quæ existens in seculo fecit, quia Religionem ingrediens moritur priori vita. Et etiam singulares observantia Religioni non competunt, & Religionis onus satis hominem onerat, ut alia super addere non oporteat.* Prælati non possunt irritare vota Novitiorum, siquidem in Novitijs deest subiectio ex obligatione obedientie, in qua fundatur directa irritatio votorum: possunt tamen probabiliter Novitiorum vota indirecte irritare, quatenus præjudicant rectæ gubernationi, & convenienti ordini Religionis. *Suar. de Voto, lib. 6. cap. 7. n. 11.* Similiter Domini solum possunt irritare servorum, etiam impuberum vota, quatenus potestati dominativæ præjudicant. *L. 3. tit. 8. p. 1. & ibid. Greg. Lop. v. g. vota Religionis, Ordinis Sacri, peregrinationis, & similia; secus alia, v. g. vota continentie, jejuniij, orationis, & similia. D. Thom. 2. 2. q. 88. art. 8. ad 2. Saneb. in Dec. lib. 4. cap. 36. n. 2. & alij.* Similiter maritus potest irritare vota uxoris, & uxor vota mariti, quatenus mutæ cohabitationi, & usui conjugalij præjudicant. *L. 3. tit. 8. p. 1. & ibid. Greg. Lop. v. g. vota longæ peregrinationis, abstinentiæ immoderate, & similia.* Maritus tamen etiam valet irritare vota, quæ domesticæ gubernationis obstant, & prolis educationi præjudicant: quia ipse est caput familiæ: neutiquam tamen valet irritare illa, quæ nullum ipsi afferunt præjudicium. *Suar. de Voto, lib. 6. cap. 4. n. 2. Less. de Just. lib. 2. cap. 40. n. 89. & alij contra Saneb. in Dec. lib. 4. cap. 34. n. 3. & alios.* Hæc facultas voti irritandi est Jure

Positivo videtur provenire, quatenus non aliter ipsis firmitatem tribuit, quam si consentiat Superior, vel alius, cujus interest. Satis aptè *D. Thom. 2. 2. q. 88. art. 8. in corp. ibi: Dicendum, quod sicut supra dictum est. Votum est promissio quadam Deo facta: nullus autem potest per promissionem se firmiter obligari ad id, quod est in potestate alterius, sed solum ad id, quod est omnino in sua potestate. Quicumque autem est subiectus alicui, quantum ad id, in quo est subiectus non est sua potestatis facere quod vult, sed dependet ex voluntate alterius: & idè non potest se per votum firmiter obligare bis, in quibus alteri subijciatur, sine consensu sui Superioris.* Et postea ad 3. *Nullum votum Religiosi est firmum, nisi sit de consensu Prælati: sicut nec votum puella existens in domo, nisi sit de consensu patris, nec uxoris, nisi sit de consensu viri.* Et ad 4. ait: *Quod licet votum eorum, qui sunt alterius potestati subditi non sit firmum sine consensu eorum, quibus subijciuntur, non tamen peccant votendo, quia in eorum voto intelligitur debita conditio, scilicet, si suis Superioribus placuerit, vel non veniantur.*

319 4. Cessat obligatio voti, si materia ipsius mutetur, ita ut fiat impossibilis: vel defecto, quatenus physicè non possit adimpleri: vel de jure, quatenus jam non sit licitum tale votum exequi: vel etiam, si materia omnino inutilis facta sit. Nam quod pervenit ad casum, à quo incipere non potest, vitiat. *L. 140. §. 2. ff. de V. O.* Si voto superveniat impedimentum perpetuum, & ejus materia erat individua, omnino ejus obligatio cessat. Nam tunc censetur impossibilis, cujus nulla est obligatio. *L. 185. ff. de Reg. jur. c. 6. eod. in 6.* Si verò materia voti erat dividua, ut est peregrinatio cum quadam elemosyna, tunc una parte reddita impossibili, obligatio manet, quoad aliam: ac proinde, si votens ob aliquod impedimentum requirit peregrinari, elemosynam profectò dare tenetur: quippe *utile per inutile non vitiat. c. 37. de Reg. jur. in 6.* nisi fortè alia sit votentis intentio: Hinc qui vovit jejuniunius diei, si non potest integrum diem jejunare, etiam si per dimidium diem jejunare possit, ad nihil tenetur. Nam actio est individua. Si verò vovit quadragesimam jejunare, & si per totam non possit, pro parte, qua potest jejunare tenetur. Si verò impedimentum voto superveniens, non impossibilium, sed tantum difficilem ejus adimplerionem reddat, tunc votum redimitur, seu commutatur, & sic intelligendus est Textus in *c. 8. b. t. ubi pere-*

peregrinatio in Terram Sanctam, quæ facta fuit impossibilis, hoc est difficilis, præfatione expensarum redimitur. *L. 5. tit. 8. p. 1. Saneb. in Dec. lib. 4. cap. 2. n. 25.* Si impedimentum superveniens temporale fit, non extinguitur, sed tantum suspenditur voti obligatio: & quidem sola auctoritate ipsius voventis differri valet voti adimpletio, si impedimentum certum sit: quando verò est dubium, cum nullus sit debeat interpretari vota, debet Superioris auctoritas accedere. Quando votum est conditionale, cum intentio voventis, ac proinde tota obligatio voti ab eventu conditionis dependeat, si conditio deficit, deficit votum. *L. 7. tit. 8. p. 1.* Si multiplex conditio copulativè adjecta sit voto, omnes implendæ sunt, ut votum obliget: quia ad veritatem propositionis copulativæ hoc requiritur. Secus ex contraria ratione, si disjunctivè conditiones apponantur: nam per quamlibet verificatur votum. *Saneb. in Decal. lib. 4. cap. 23. n. 20.* Votum cessare, etiam quando per malitiam voventis, conditionis impeditur eventus, cum certè non verificetur votum, tenent contra alios *Suar. de Voto, lib. 4. cap. 17. n. 20. & alij. 5.* Cessante causa finali, quæ ad votandum movit, cum pro eo casu intentio votandi deficiere credatur, cessat, & votum; *arg. c. 60. de Appellat.* Sic, qui pro filij salute elemosynam vovit, filio mortuo non tenetur eam præstare: vel qui vovit non ingredi certam domum; quia ibi peccandi aderat periculum, hoc cessante, cessat, & obligatio; *arg. L. 7. tit. 8. p. 1. Suar. de Voto, lib. 4. cap. 18. ex n. 3. Saneb. in Dec. lib. 4. cap. 2. n. 42. & alij. 6.* Votum, cujus obligationi finienda certus terminus præfixus est, eo elapso cum jam desit fe obligantis intentio, cessat, & obligatio. Nam actus agentium non operantur ultra eorum voluntatem. *L. 19. ff. de Rebus creditis.* Si tamen terminus est præfixus ad ejus executionem, etiam termino elapso, manet obligatio: quia adhuc potest impleri. Et sic voventis contra hinc obligationes, alteram, qua tenetur eam præstare; alteram, qua non differre tenetur, & licet hæc per temporis lapsum facta sit impossibilis, non tamen prima. In dubio autem ex circumstantijs cognoscitur: an terminus ad executionem faciendam, vel ad finiendam obligationem adjectus sit.

TIT. XXXV.

De Statu Monachorum, & Canonicorum Regularium.

320 **S**tatus in præsentem non latè pro quacumque vitæ conditione, *sest stricte pro conditione vitæ stabili & perpetua sumitur.* Et sic in Ecclesia tres sunt status, Conjugatorum scilicet, Clericorum, & Religiosorum. Et de hoc quidem in præsentem: nam de alijs alibi agitur. Religiosis ergo statum constituunt tria vota paupertatis, castitatis, & obedientiæ, quæ propterea ad Religiosum statum substantialia habentur. Agitur ergo in præsentem de Religiosis, sive Regulares, sive Monachi vocentur. Si enim in Monasterijs habitent *Synodice*, seu *Canonice* appellantur: si soli in Eremita degant *Eremita*, & *Anachoretæ* dicuntur, & nomine generali *Monachi*, id est, *solitarij*, appellantur. Eorum Superiores *Abbat*, quali *Patres*, generaliter vocabantur: specialius autem nuncupabantur *Archimandrita* Superiores Monachorum, qui in speluncis, & cavernis delitebant. Et jam nomine generali omnes, qui Religionem profitentur *Religiosi*: & quia regulam sequuntur *Regulares* nuncupantur. Etiam hic agitur de Canonicis Regularibus, nam cum tria vota Religiosis emittant, verè Religiosi sunt. *c. 4. b. t. L. 1. tit. 7. p. 1.* ibi: *Estos adales son dichos Religiosos, que quiere tanto dectir, como omes ligados, que se meten fo obediencia de su Mayoral: asi como Monges, d Galonges de Claustro, a que llaman Reglaves, d de otra Orden qualquier, que sea.* Et quidem olim omnes ferè Clerici erant Canonici Regulares. *c. 7. c. 8. c. 9. 12. q. 1. l. 1. tit. 7. p. 1. Gonz. in c. 5. b. t. n. 2.* Qui verò non emittunt tria vota substantialia Religiosis non sunt verè Religiosi, ac proinde sub præsentem titulo non comprehenduntur: Tales sunt aliquorum Ordinum Militarium professi, quales sunt equites Divi Jacobi, Alcantaræ, & Calatravæ in Hispania. Status igitur Religiosus est status, in quo Religiosus debet tendere ad perfectionem, licet non requiratur, quod actu sit perfectus: tenetur tamen tendere ad perfectionem per media essentialia suæ Religionis: hoc est observando vota, & regulas: quod si ex contemptu violet regulas, etiam non graviter obligantes, eas habendo, ut frivolæ, vel nolendo se Superiorio-

periori subicere; vel si ex violatione grave sequeretur detrimentum Religioni, graviter proculdubio peccare. Si omnia monita, & regulas negligat, eo quod sub mortali non obligent, multoque magis si directè nolit perfectionem, graviter peccat. Siquis non tantum intendat non esse sollicitus in regulis servandis, sed etiam nunquam servare, & si facile possit, cum hoc vix possit stare sine formali contemptu, peccatum grave est. Si verò ex remissione animi, & negligentia sine aliquo titulo iusto velit per directam intentionem non servare aliquam regulam, saltem erit peccatum veniale, quia esset venialis contemptus. Si tamen Religiosus habeat animum nullam regulam servandi, dummodò paratus sit ad poenam sustinendam transgressoribus impositam, cum se submittat regulæ uti lata est (nam hoc supponimus) id est, subeundo poenam, si transgrediat, non peccat graviter: quia in objecto illius actus non est materia contraria ulli voto, vel præcepto: quamvis in his alij strictius discurrant. *Lacroix lib. 4. ex n. 57. Suar. de Relig. tom. 4. lib. 1. cap. 4. Saneb. in Dec. lib. 6. cap. 5. Elizald. in doct. Moral. lib. 8. q. 14. & alij omnino videndi.* Scholasticus Societatis peccat graviter, si non adhibet diligentiam in cavendis defectibus, ob quos prævidet, se dimitendum. Superior sub gravi tenetur in vigilare ne corrumpat observantia Religiosa. *Suar. Salmant. Saneb. Pelliz. Lugo de Just. 39. an. 21. & alij com. **

421 Nunc explicandum venit, quænam obligatio vi votorum Religiosis insurgat. Et quidem ex voto paupertatis quilibet Religiosus se abdicat in perpetuum dominio bonorum temporalium, quæ fortunæ dicuntur, ut constat ex famigerato, & capitali in hac materia, *Text. in C. Non dicatis, 11. 12. q. 1.* ibi: *Non dicatis aliquid propriam, sed sint vobis omnia communia. Quicumque autem in tantum progressus fuerit malum, ut occulte ab aliquo litteras, vel quodlibet munus accipiat, si hoc ultrò consistat, parcatur illi, & orcutur pro illo. Si autem deprehendatur, atque convincitur, secundum arbitrium Presbyteri, vel Præpositi gravius emendatur. Cum hujus nostre Congregationis fratres non solum facultatibus, sed voluntatibus proprijs in ipsa Ordinationis susceptione renuntiarint, & se per promissam obedientiam penitus aliorum potestati, & imperijs in Christo, & pro Christo subdiderint; certum est, eos nihil habere, possidere, dare, vel accipere debere, sine Superioris licentia. Quod si propinquus, vel amicus, vel quilibet fratrum cuiquam ali-*

*quid offerre voluerit, primo quidem Priori insinuetur, & sic suscipiatur, si ipse mandaverit: de quo tamen nihil fiat aliud, nisi quod Priori placuerit. c. 2. c. 4. c. 6. b. t. L. 2. l. 14. tit. 7. p. 1. D. Thom. 2. 2. q. 186. art. 3. in corp. ibi: Inde est, quod ad perfectionem charitatis acquirendam primum fundamentum est voluntaria paupertas, ut aliquis absque proprio civitas, dicente Domino Matth. 19. Si vis perfectus esse, vende omnia, quæ habes, & sequere me. Potest tamen Religiosus retinere bona spiritalia, & eis annexa, ut beneficia, jus eligendi, vel conferendi. *Less. de Just. & jur. lib. 2. cap. 4. n. 25.* Etiam retinet Religiosus honorem, & famam, potest tamen ex humilitate aliquomodo eis renuntiare v. g. vovendo non acceptare dignitates, & contentum se ostendendo ut ejus defectus, etiam sine prævia monitione, nec correctione fraterna ad Superiorem deferantur à quocumque, qui eorum notitiam extra confessionem habeat. Non est de essentia paupertatis Religiosæ abdicare fe dominio radicali, sed tantum ejus usum. Sic Scholasticus, & Coadjutores non formati nostræ Societatis, cum verè Religiosi sint, dominium suarum rerum possunt retinere, non tamen eo possunt uti absque Superioris consensu: quod quidem sufficit, ut verè paupertatis Religiosæ voto ligati credantur. Ceteri verò Religiosi in particulari se abdicant dominio rerum suarum. Hinc dispositio Religiosi absque Superioris licentia de bonis, quæ habebat, ut de re aliena, siquidem illorum dominio fe per paupertatem abdicavit, erit adsubio invalida: Et ob contrariam rationem dispositio Scholasticus Societatis, quamvis illicita, & revocabilis à Superiore, utpotè contra votum paupertatis facta, valida tamen erit ob dominium radicale, quod talis Religiosus retinet. *Suar. de Relig. tom. 4. tr. 10. lib. 4. c. 6. ex n. 12. Saneb. in Decal. lib. 7. cap. 8. n. 25. & cap. 18. n. 28. & alij contra Less. de Just. & jur. lib. 2. cap. 4. n. 28. Molin. de Just. tr. 2. D. 139. & alios.* Religio in communi potest bona, etiam immobilia, possidere, nisi fratres Minores de Observantia, & Capuccini, qui neque mobilia possidere possunt. Domus Professæ Societatis non possunt immobilia, præter habitationem, & hortum: mobilia tamen possidere possunt.*

322 Peculium, in quo Religiosus dominium habet independens à Superioris arbitrio, clarè pugnat cum voto paupertatis; secus peculium, quod tantum Religio administrationem tribuit, dependen-

dentem quidem à superiore, c. 2. b. t. sed *Trid. 25. de Regular. cap. 2.* in hac parte derogavit Juri antiquo, ut contra *Sanch. lib. 7. cap. 22. n. 11. Navar. Barbof. & alios tenent Suar. de Relig. tom. 3. lib. 8. cap. 14. n. 8. Less. de Jusf. lib. 2. cap. 4. n. 30. & alij.* Constat tamen valde temperatam esse Tridentino, cum Religiosis aliqua moderata pecunia ad usus necessarios, & honestos à Superioribus permittantur. Similiter permittuntur annuæ pensiones vitalitæ, quæ Religiosis assignantur, ita tamen ut hoc de licentia superioris fiat, & redditus tradantur superiori, ut per se, vel alios administret. Et quamvis deceat, quod præstentur illis, pro quibus tales pensiones constitutæ sunt, ipsi tamen nullum jus, tamquam proprium præterdere debent: sed possunt Superiores in alios usus expendere. *Less. de Jusf. lib. 2. cap. 4. n. 31.* Si tamen hujusmodi vitalitium ab ipso Religioso, pro quo fundatum est, administretur, etiam si revocabilitè, & ad usus honestos concessum sit, censetur revocatum per *Trid. sess. 25. de Regul. cap. 2.* Ut ergo Religiosus de aliqua re, sine paupertatis violatione, disponere valeat, requiritur Superioris licentia, & quidem talis, quam Superior concedere possit, scilicet, juxta præscriptum Sacrorum Canonum, & Religionis Constitutiones. Superior quippè, quia non Dominus, sed tantum est dispensator bonorum Religionis, non potest concedere licentiam, nec sibi ipsi accipere, ad expendendam pecuniam in usus turpes, vanos, vel superfluos. *Less. de Jusf. & jur. lib. 2. cap. 41. n. 78.* Præterea licentia Superioris debet esse libera à metu, coactione, dolo, & fraude, & licet sit necessarium exprimere ea, quibus expressis, non concederetur licentia, non requiritur ea exprimere, quibus expressis licentia, quamvis difficilium, concederetur. *Suar. de Relig. tom. 3. lib. 8. cap. 11. n. 14. Sanchez in Decal. lib. 7. cap. 19. n. 16.* Sufficit tamen aliquando tacita Superioris licentia, si v. g. hic alicui subdito concedat licentiam, ut accipiat aliquas imagines, rosariam, numismata benedicta, vel alia hujusmodi, quibus subditus non indiget, & ipsi dantur, ut distribuantur inter fideles. Nam tunc creditur, Superiorem licentiam alij donandi, subdito concedere. Vel quando subditus aliqua re temporali utitur consensu Superiore, & non contradicente, secus si ex verecundia Superiori taceat. Idem est, quando quis iter agit: nam tunc potest aliquas moderatas

elemosynas, vel modicas donationes amicis facere. Vel si necessitas urgeat ad aliquid accipiendum, vel expendendum, & Superior nequit adiri: potest enim subditus illud accipere, sed postea debet Superiorem adire, ut tuto retinere valeat. Sed si res jam sit consumpta, adire Superiorem non est opus. *Suar. de Relig. tom. 3. lib. 8. cap. 11. n. 3.* In hoc enim casu ex benigna interpretatione sufficit præsumpta Superioris licentia: imò, & sufficit etiam casu, quo possit absolvi Superior adiri, pudor tamen, vel aliquis respectus humanus, vel alia difficultas obest, quominus adeatur; *arg. L. 46. §. 7. ff. de Furtis,* dummodo probabiliter scilicet præsumatur, Superiorem non esse absolute invitum. Secus est, si ipse, licet facile licentiam concederet, si peteretur, vult, ut actu petatur. *D. Thom. 2. 2. q. 32. art. 8. ad 1. Suar. de Relig. tom. 3. lib. 8. cap. 1. ex n. 4. Sanch. in Decal. lib. 7. cap. 19. ex n. 4. Less. de Jusf. lib. 2. cap. 41. n. 79.* non tamen sufficit, ut licentia censetur concessa, quod eam Superior debet concedere, & eam irrationabiliter neget, cum eam alij Superiores semper concesserint; sicut non absolviatur voto castitatis ille, qui imprudenter negatur dispensatio. Tunc etenim nomine proprio, & sine Superioris licentia, nec dependentia ab eo, talis subditus ageret, ac propterea votum paupertatis violaret. Aliud esset, si ipsum jus, vel natura ipsa subdito usum rei tribuat: v. g. si subdito non ministret Prælatum necessaria ad victum, & vestitum, & juxta Ordinis morem: Nam tunc potest absque licentia ab externis accipere, quasi ipsa Religiosis constitutione licentiam concedente. *Arg. L. 2. ff. de Jurisdic. vel si Superior neget licentiam ad elemosynam pauperi extreme indigenti elargiendam: Nam tunc potest sine Superioris licentia elemosynam, etiam ex ipsis Monasterij bonis, dare, ipsa natura ad hoc licentiam concedente. Talis enim necessitas profectò Lege caret. c. 4. de Regul. jur.*

323 Paupertas religiosa violatur, si subditus sine licentia expressa, vel tacita, vel præsumpta, prout in casu sit necessaria, aliquid, etiam comestibile, quod per usum consumitur, accipiat, absumat, vel retineat nomine proprio: vel si donet, vel alienet, etiam res, quas de licentia Superioris possidet, & retinet: nam ex licentia retinendi non illico infertur alienandi licentia: Imò nec potest subditus res suo usui permittas alteri mutare, nec commodare, cum eas tamquam usufructus,

& precario ad nutum Superioris habeat: *arg. §. 1. & 2. Inst. de usu, & habit.* Sed in his rebus, etiam si alicujus momenti sint, commodandis major conceditur amplitudo: cum non tanti aestimetur commodare, ut materia peccati mortalis facere censetur. *Sanch. in Decal. lib. 7. c. 19. n. 57. & cap. 20. n. 6.* Si Religiosus usurper rem Monasterij, vel etiam rem sibi concessam in alium usum præter intentionem Superioris convertat, vel eam dolo, vel lata culpa destruat, vel amittat; vel si Superiori res abscondat, vel ipsum aliquomodo murmuret, vel querelis impediat liberam rei dispositionem: cum hæc omnia sint actus proprietatis, & dominij, votum paupertatis violat. *Sanch. in Decal. lib. 7. cap. 19. n. 60. & 115. Less. de Jusf. lib. 2. cap. 41. ex n. 78. & alij.* Violatio equidem paupertatis in materia gravi peccatum grave est; leve tamen in materia levi. Et quidem ea quantitas, quæ furtum constitueret grave secundum se, & independentè ab alijs circumstantijs, est sufficiens ad violandam graviter paupertatem, ea verò, quæ illud constitueret leve, leviter violat paupertatem. Si Religiosus sine Superioris licentia rem sibi, cum exclusione Monasterij donatam, accipiat, tantum sacrilegium committit, quia contra votum accipit: non verò committit furtum: quia ipse donans, qui manet Dominus rei donatæ (cum donatione cum tali exclusione sit invalida) non est invidus. Aliud est, si res accepta sit Monasterij, nam tunc præter sacrilegium, etiam furtum committitur. Qui contra paupertatis votum aliquid retinet (secus si jam consumpsisset) privatur voce activa, & passiva per biennium. *Trid. sess. 25. de Regul. cap. 2.* Et olim à Monasterio expellebatur. *t. 6. b. t. L. 14. tit. 7. p. 1.* Sed hodie pro qualitate delicti in carcere puniuntur, ne si tales expellantur occasio vagandij eis detur. *c. fin. de Regularib. quod si proprietatis apud aliquem Religiosum inventa fuerit in morte, pecunia cum tali proprietario in signum perditionis extra Monasterium in interquilinio subterretur, secundum quod B. Gregorius narrat in Dialogo, se fecisse. c. 6. b. t. L. 14. tit. 7. p. 1. Et Gregor. l. op. ibid. cum Joann. And. notat, quod non debet sepeliri tota pecunia, sed sat erit triginta denarios in signum damnationis apponere: imò & minor quantitas ad hoc sufficere; quod si post mortem hoc proprietatis peccatum sciatur, debet proprietarius exhumari, si potest sine magno scandalo hoc fieri. Hæc tamen pena non incurritur ante sententiam Judicis. *Sanch.**

in Decal. lib. 7. cap. 20. ex n. 11. Machad. in Sum. lib. 5. p. 2. tr. 1. & alij.

324 Votum castitatis absolute, & perpetuæ est etiam substantiale ad Religiosum statum, nec sufficit castitatem conjugalem vivere, qualem plures Ordines Militares vovent: nam tales non stricte, sed tantum late sunt Ordines Religiosi. *c. 6. in fin. b. t. ibi: Quia abdicatio proprietatis, sicut, & custodia castitatis adeo est annexa regula Monachali, ut contra eam nec Summus Pontifex possit licentiam indulgere. L. 2. tit. 7. p. 1. D. Thom. 2. 2. q. 586. art. 4. in corp. ibi: Ad statum Religionis requiritur subtractio eorum, per que homo impeditur, ne feratur totaliter in Dei servitium: usus carnalis copula retrahit animum, ne totaliter feratur in Dei servitium: uno modo propter vehementiam delectationis, ex cuius frequenti experientia augetur concupiscentia, ut etiam Philosophus dicit in 3. Ethicor. & inde est, quod usus veneriorum retrahit animum ab illa perfecta intentione tendendi in Deum. Et hoc est, quod Augustinus dicit in 1. Soliloquiorum: Nihil esse sentio, quod magis ex arte deiciat animum virilem, quam blandimenta femineæ. Alio modo propter sollicitudinem: quam ingerit dominij de gubernatione uxoris, & filiorum, & rerum temporalium, quæ ad eorum sustentationem sufficiunt: unde Apostolus dicit: quæ sine uxore est sollicitus est, quæ sunt Domini, quomodo placeat Deo. Qui autem cum uxore est sollicitus est, quæ sunt Mundi, & quomodo placeat uxori. Et ideo continentia perpetua requiritur ad perfectionem Religionis, sicut, & voluntaria paupertas. Unde sicut damnatus est Vigilantius, qui adæquavit divitias paupertati, ita damnatus est Jovinianus, qui adæquavit matrimonium virginitati. *Suar. de Relig. tom. 4. tr. 9. lib. 1. cap. 4. Sanch. in Decal. lib. 4. c. 16. n. 11. & alij com.* Adde est annexa castitas Religioso statui, ut nec Pontifex possit facere, quod Religiosus, talis manens, sit voto castitatis solutus. Et hoc: & non amplius probat *l. ext. in c. 6. b. t. ibi: Abdicatio proprietatis, sicut, & custodia castitatis adeo est annexa regula Monachali, ut contra eam nec Pontifex possit licentiam indulgere.* Non tamen probat, Pontificem in voto castitatis, etiam solemnij, non posse dispensare, dando licentiam, & facultatem Religioso, ut desinens esse talis, matrimonium contrahat: quod quidem negat *Albert. Mag. D. Thom. 2. 2. q. 88. art. 11. Sylv. Soto, & alij.* posse tamen Pontificem dicto modo dispensare tenent *D. Thom. in 4. D. 28. q. 1. art. 4. q. 1. ad 3.* (unde*

saltem est dubia ejus mens. *D. Antonin. Durand. Joan. Andr. Gutier. & plurimi*, quos citat, & sequitur *Sanch. de Matrim. lib. 8. D. 8. n. 7.* Et bene quidem: nam cum possit Pontifex absdubio in voto simplici castitatis dispensare, & solemnitas voti oritur tantum ex Lege Ecclesiastica, qua Papa superior est, evestigio infertur, posse in castitate solemniter dispensare. Et sic Innoc. III. dispensavit cum Ramiro Aragoniæ Rege antea Monacho, Sacerdote, Abbate, & Episcopo, ut posset matrimonium contrahere, & alij cum alijs dispensarunt, de quibus passim Historia. Et sic dispensatus, etiam prole suscepta, non tenetur ad Religionem regredi invita uxore. Hoc enim contra matrimonij substantiam, & indissolubilitatem esset. *Sanch. de Matrim. lib. 8. D. 8. n. 9.* nec obligatione Divinum Officium recitandi, nec alijs Religionis oneribus tenetur. *Sanch. n. 11.* Ad talem vero dispensationem, non utique sufficit quaecumque utilitas privata, sed requiritur publica utilitas, & quidem valde urgens, v. g. Religionis in aliquo Regno propagandæ, vel conservandæ, vel pacis publicæ, vel conservandæ Regiæ stirpis. Et nunquam aliter Pontifices dispensarunt. *Sanch. de Matrim. lib. 8. D. 8. n. 8.* contra *Ricard.* Si tamen sine justâ causa dispensetur, illicita erit dispensatio, valida tamen, & sic dispensatus reddere debitum tenetur, illud tamen petere non valet. *Sanch. de Matrim. lib. 8. D. 8. n. 10.* Tunc etenim censetur, Pontificem in solemnitate, quæ est Juris Ecclesiastici dispensare; non tamen in voto, quod Juris Naturalis est: ac proinde illud votum solemnè in vim simplicis obligat, arg. c. *fn. de Spons. impuber.* Votum igitur castitatis obligat ad abstinendum ab omni actu venereo, tam externo, quam interno, & etiam ab actu conjugali. Si contra fiat, duplex culpa, altera incontinentiæ, altera sacrilegij committitur. Illudque peccatum induet alias species militiæ, quibus actus vestitus sit. Non tamen erit necessarium in confessione distinguere, an votum castitatis sit solemnè, vel simplex; nam nota solemnitas est quid voto extrinsecum; ac proinde fat erit dicere: violavi votum castitatis etiam si sit Sacerdos, & Religiosus simul. *Sanch. de Matrim. lib. 7. D. 27. ex n. 23.* contra *alios.* Et licet peccatum contra votum castitatis possit aliquando esse veniale ex defectu deliberationis plenæ, vel advertentiæ, nunquam tamen potest esse veniale ob parvitatem materiæ, si delectatio sit plenè, & advertenter admittitur. Oppositam senten-

tiam ex prohibitione speciali sub præcepto, censura, & alijs penis nullus Jesuita docere valet. *Lacr. lib. 3. p. 1. ex n. 910.* *Sanch. in Decal. lib. 5. cap. 6. n. 12.* & alij *com.* Arma ad castitatem defendendam ab inimicis undique eam incitant, hostiliter, & vehementer invadentibus, & impugnantibus, sunt contemptio Divinorum, mortis cogitatio assidua, oratio frequens, studium, & lectio scripturarum, exercitium contra otium, vigilia, labor, angustia, occasionum vitatio, solitudo, abstinencia, & non habet ultimum locum maceratio carnis. Nam castitas a castigando nominatur: hoc enim lilium vix nisi inter spinas invenitur.

325 Tertium votum substantiale Religionis est obedientiæ. c. 11. 12. q. 1. l. 2. tit. 7. p. 1. per obedientiam namque Religiosus propria se abdicat voluntate, ita ut deinceps nec velle, nec nolle credatur habere. c. *fn. de Testam. in 6.* sed solum velle Superioris sit subditi velle; *D. Thom. 2. 2. q. 186. art. 5. in corp. ibi: Status Religionis est quædam disciplina, vel exercitium tendens in perfectionem: quicumque autem instruuntur, vel exercentur, ut perveniant ad aliquem finem, oportet, quod directionem alicujus sequantur, secundum ejus arbitrium instruuntur, vel exercentur, ut perveniant ad aliquem finem, quasi Discipuli sub Magistro. Et ideo oportet, quod Religiosi in his, quæ pertinent ad religiosam vitam alicujus instructioni, & imperio subdantur: unde in C. Nequaquam, 7. q. 1. dicitur: Monachorum vita subjectionis habet verbum, & discipulatus: imperio autem, & alterius instructioni subijcitur homo per obedientiam: & ideo obedientia requiritur ad Religionis perfectionem.* Votum igitur obedientiæ obligat ad servanda in regulis contenta, graviter, vel leviter juxta tenorem verborum, Legis intentionem, & Ordinis consuetudinem. Imò aliqua regulæ ad nullam culpam obligant transgredientes, sed tantum ad poenam pro transgressione impositam. Violans obedientiæ votum peccat contra Religionem, & contra justitiam ob jus Prælati adquisitionem ex professione. Religiosi etenim vi voti tenentur obedire Prælati immediato, & mediato, ita tamen, ut si contraria præcipiant, mediato, ut Superiori, non immediato, qui inferior est mediato, obedire tenentur. Sicque gradatim obedire tenentur. 1. Ministro, vel Subpriori. 2. Rectori, Priori, Guardiani, vel Abbati, seu Præposito. 3. Provinciali. 4. Generali, & denique Su-

Supremo Ecclesiæ Prælati R. Pontifici. c. 2. D. 8. *Suar. de Relig. tom. 3. lib. 10. cap. 11. ex n. 6.* & alij *com.* Moniales vi voti obedire tenentur Abbatissæ, & Priorissæ. Nam licet hæc in Moniales non habeant jurisdictionem spirituales, habent tamen potestatem domesticam, & dominativam in ipsas vi traditionis in professione factæ cum voto obedientiæ. *Suar. de Relig. tom. 3. lib. 10. cap. 11. n. fin. Sanch. in Decal. lib. 6. cap. 1. n. 17.* & alij. Regulares exempti utriusque sexus non tenentur Episcopo obedire, siquidem exemptionem non est illorum Superior: non exempti tamen, licet ipsi obedire debeant tamquam proprio Episcopo, in ipsos jurisdictionem Ecclesiasticam habenti, non tamen ipsi vi voti tenentur obedire, nisi ipsi specialiter tales Religiosi vovent obedientiam. *Sanch. in Decal. lib. 6. cap. 1. ex n. 11.*

326 Debent ergo Superioribus Religionis subditi obedire, quando licita, & honesta præcipiunt: imò, & quando præcipiunt indifferenter, vel etiam ridicula, si ex bono fine, & ad subditos in obedientia exercendos præcipiantur: secus si turpiter, vanè, vel ridiculè præcipiant. Impossibilia tamen non cadunt sub votum. l. 185. ff. de Reg. jur. c. 6. eod. in 6. nam talium nulla est obligatio: licet aliquando Sanctissimi Viri suis subditis, ut in simplicitate obedientiæ probarentur, impossibilia præcipiebant, & ipsi ex instinctu Spiritus Sancti, & Dei speciali adjutorio executioni mandantur. Sic S. Maurus jussu S. Benedicti lacum est ingressus, & ex eo fratrem extraxit. *Sanch. in Decal. lib. 6. cap. 2. n. 4.* quando subditus dubitat, an res præcepta sit licita, vel an detur justa causa percipiendi, obedire tenetur, quia cum ipse habeat obligationem obediendi, & Superior jus, & facultatem percipiendi, & in ejus possessione sit, in dubio non debet Superior tali jure spoliari. Sed cum actus agentium non operentur ultra agentium voluntatem. l. 19. ff. de Rebus credit. & obedientia religiosa oritur à voluntate voventis, & ejus voluntas sit tantum obedire secundum Regulas, & Constitutiones Religionis, quam profiteretur; consequens est, quod Prælati Regularis, imò nec S. Pontifex possit Religioso vi voti præcipere id, quod sit contra regulam, nec supra, nec extra ipsam, saltem tacite comprehensum, quatenus, scilicet, conducat, vel connexionem habeat cum ipsius regulæ observatione. *D. Thom. 2. 2. q. 104. art. 5. ad 3. ibi: Sic ergo potest*

triplex obedientia distingui: una sufficiens ad salutem, quæ scilicet obedit in his, ad quæ obligatur: alia perfecta, quæ obedit in omnibus licitis: alia indifferens, quæ etiam in illicitis obedit. *Suar. de Relig. tom. 3. lib. 10. cap. 8. n. 5.* & alij *com.* potest tamen Pontifex, ut Pastor Universalis Ecclesiæ, & ut Supremus Legislator plura ultra regulam præcipere, in quibus Religiosi obedire tenentur. c. 1. de Constit. *Suar. de Relig. tom. 3. lib. 10. cap. 8. n. 11.* Religiosi ergo ex voto tenentur ad asperitates primaræ regulæ, quæ continentur in tenore votorum: etiam si cursu temporis aliquatenus consuetudine, vel non usi sint relaxatæ: quia hæc consuetudo nequit prævalere contra votorum obligationem, quæ est Juris Naturalis: secus est, si tales asperitates non continentur in votorum tenore. Similiter, qui professus est Religionem, cujus rigor mitigatus est negligentia Superiorum, si postea reformetur, & ad primitivam observantiam, quæ sit juxta regulam, reducat, ad ipsam talis professus tenetur, cum semper Prælati, habeant jus, disciplinam regularem secundum regulam promovendi, ac proinde in subditis manet obligatio obtemperandi: secus est, si ille rigor fuit mitigatus autoritate legitima Pontificis, vel ipsius Ordinis, cum tunc subditus solum se obligasset ad observantiam regulæ, quatenus mitigata erat à primævo rigore. *Suar. de Relig. tom. 3. lib. 10. cap. 8. ex n. 14.* *Sanch. in Decal. lib. 6. cap. 2. n. 35.* & alij, contra varios variè sentientes. Religiosis potest præcipi intervenire alijs ejusdem Ordinis fratribus peste infectis, etiam cum vitæ periculo ob publicum Religionis bonum, sicut potest Princeps subditis imperare militare, vel navigare cum tali periculo ob Reipublicæ temporale bonum: imò & potest Religiosis præcipi, exteris, & secularibus infectis peste servare, Sacramenta ministrando in defectu, & supplemento Parochorum, ad quos ex munere primo hoc incumbit, dum tales Religiosi ex instituto proximorum salutis spirituali incumbant; secus si vitam Monachalem proficiantur. Nam hoc omnino esset extra eorum regulam, juxta quam tantum propriè saluti attendunt. *Sanch. in Decal. lib. 6. cap. 2. ex n. 56.* Si Prælati actus mere internos præcipiunt: v. gr. orationem, si hoc Religiosi vovent, tenentur obedire: ut contra *Sanch. in Decal. lib. 6. cap. 2. num. 6.* Azor, & alios, tenent *Suar. de Legib. lib. 4. cap. 12. n. 15.* & *Jesq. & alij.* Sed hoc

hoc vix in aliqua Religione erit consuetum.

327 Religiosi de Jure Communi, seculis privilegijs specialibus, subjiuntur Episcopo, à quo possunt corrigi, visitari, & puniri. *c. 1. h. t. in defectum Prælati Regularis, ad quem prima correctio spectat. c. 7. de Offic. Ordin.* Monachi non possunt pro pretio in Monasterio admitti: nec Prioratus, vel alia officia pro pretio dari valent sub varijs pœnis. *c. 2. b. t. l. 22. tit. 7. p. 1.* nec singuli in Parochijs, sed in Conventu majori, vel cum aliquibus fratribus esse debent. *c. 2. b. t. l. 24. tit. 7. p. 1.* si Canonici Regulares Parochiæ præficiantur socium ejusdem Ordinis debent habere, si commodè fieri potest. *c. 5. b. t. l. 25. tit. 7. p. 1.* Hodie tamen nec Religiosi, nec Canonici Regulares sine Pontificis licentia valent Parochijs præfici ex *Const. Greg. XIII.* In pluribus tamen Indiæ Provincijs, & præcipue in his Insulis, Religiosi ob Clericorum inopiam sunt Indorum Parochi. *l. 30. tit. 15. lib. 1. R. Ind.* Deinde: in *c. 6. b. t.* agitur de vestibus Monachorum, de abdicatione proprietatis, de silentio continuo servando, maxime in Oratorio, Refectorio, & Dormitorio. *l. 14. tit. 7. p. 1.* etiam agitur de cibis, ubi eius carni in refectorio prohibetur. *l. 15. tit. 7. p. 1.* item de officijs, & beneficijs. In *Cl. 1. b. t.* præscribitur Monachis modestia in victu, & vestitu servanda. Item confessio, & communio mensalis: etiam prohibentur aucupationes, & venationes clamorose, accessus ad Curiam Principum, & ne singuli in singulis administrationibus, vel Prioratibus Monachi habitare præsumant, de alijsque hujusmodi providetur. In *c. 7. h. t.* agitur de Capitulis Provincialibus quolibet triennio in Monasterio, æqualis ab omnibus distantia, celebrandis, in quibus de Observantia Regulari agatur: & Capitulo quatuor Abbates præsent. *l. 17. tit. 7. p. 1.* In *c. fin. b. t.* agitur de correctione, visitatione, & de modo eas faciendi. *l. 18. & seq. tit. 7. p. 1.* In *Cl. 2. b. t.* per *Trid. sess. 25. de Regul. cap. 9.* confirmata: agitur de visitatione Monialium.

328 Ut ergo Moniales, quæcumque sint, etiam Ordinum Militarium, post emissionem trium votorum (secus est de Novitijs) à publicis, & mundanis spectaculis separatae omnino, servire Deo studeant liberius, & lasciviendi opportunitate sublata, eidem corda sua, & corpora in omni sanctimonia diligentèr custodire valeant, perpetuam clausuram in Monasterijs servare tenentur. *c. un. b. t. in 6. Trid. sess. 25. de Regul. cap. 5. Suar.*

de Relig. tom. 4. tr. 8. lib. 1. c. 8. ex n. 11. Sanch. in Decal. lib. 6. cap. 15. ex n. 10. & alij com. Claustrum igitur, extra quod ipse exire nequeunt, & quod extranei ingredi non valent, intelligitur omnis ille locus, sive conclave sit, sive hortus, sive area, ubi Moniales sunt, & solent ingredi: possunt tamen ex causa legitima egredi: v. g. ob incendium, lepram, vel epidemiam, ex *Const. S. Pij V. Decori, An. 1569.* alias præterea causas assignant *Suar. de Relig. tom. 4. tr. 8. lib. 1. cap. 9. n. 3. Sanch. in Decal. lib. 6. cap. 15. ex n. 60. Barbof. de Pot. Episc. alleg. 102. & alij.* Si Moniales sint Ordini subjectæ, & exemptæ, ultra Prælati licentiam ad egrediendum ex clausura, indigent etiam licentia Episcopi: qui cæteris omnibus Monialibus non exemptis tamquam Ordinarius licentiam egrediendi concedit: & etiam exemptis immediate Pontifici subjectis, sed tamquam Sedis Apostolicæ delegatus. *Trid. sess. 25. de Regul. cap. 5. Suar. de Relig. tom. 4. tr. 8. lib. 1. cap. 9. & alij.* Si necessitas manifesta urgeat, & periculum sit in mora, non est necessaria licentia Superioris ad exeundum è Monasterio: nam necessitas, quæ Lege caret, licentiam concedit. *c. 4. de Regul. jur.* Moniales clausuram violantes, & eis faventes, & eis contra dictam Constitutionem S. Pij V. concedentes licentiam, ipso jure, absque alia declaratione, incurrunt excommunicationem majorem, & privationem dignitatum, administrationum, & officiorum; & inhabilitatem ad illa in posterum obtinenda. Hæc tamen pœna requirit sententiam criminis declaratoriam, licet non declaratoriam pœnæ. *Sanch. in Decal. lib. 6. cap. 15. n. 65.* Etiam prohibetur sub pœna excommunicationis ipso facto incurrendæ ingressus in Monasteria Monialium, non solum viris, sed etiam foeminis. *Trid. sess. 25. de Regul. cap. 5.* ibi: *Nemini autem sanctimonialium liceat post professionem exire è Monasterio, etiam ad breve tempus, quocumque prætextu, nisi ex aliqua legitima causa ab Episcopo approbanda: indultis quibuscumque, & privilegijs non obstantibus. Ingredi autem intra septa Monasterij nemini liceat, cujuscumque generis, aut conditionis, sexus, vel ætatis fuerit, sine Episcopi, vel Superioris licentia in scriptis obtenta, sub excommunicationis pœna ipso facto incurrenda.* Possunt tamen ingredi pueri, & puellæ ante usum rationis, secus puberes, etiam ames: etiam possunt ibidem esse aliquæ famulæ sæculares, vel puellæ educandæ usque ad 25. an. de licentia Episcopi. Item possunt talia Mo-

na-

nasteria ingredi, non solum foeminae, si aliqua sufficienter apparens necessitas moralis detur: sed etiam viri, ex majori tamen necessitate: v. g. Medicus, Chirurgus, Faber, & alij hujusmodi. *Sanch. in Decal. lib. 6. cap. 16. ex n. 40. Suar. Barbof. & alij.* Licentiam autem ingrediendi ex justa causa possunt alijs dare, sibi que ipsi accipere Episcopus, & ejus Vicarius: & quidem Jure Ordinario, si Monasterio non est exemptum: quod si sit exemptum, & immediate subjectum Papæ, dat licentiam Episcopus tamquam Sedis Apostolicæ delegatus. Si sit Ordini subjectum sufficit licentia Prælati Regularis mediati, vel immediati juxta Ordinis Constitutiones: quæ licentia, specialis debet esse, & in scriptis dari. *c. un. b. t. in 6. Trid. sess. 25. de Regul. cap. 5. Sanch. in Decal. lib. 6. cap. 16. ex n. 13.* quamvis, ut diximus ad egressum Monialium, & licentia Prælati Regularis, & Episcopi necessaria sit. *Sanch. in Decal. lib. 6. cap. 15. ex n. 24.* Antiquus quidem, non solum ingressus, sed & accessus ad Monasteria Monialium extra causas necessarios erat prohibitus. *c. 8. de Vita, & honest. Cleric. c. un. h. t. in 6. & præcipue Religiosis:* Hodie tamen hujusmodi Constitutiones usu sunt temperatae. Præterea: sub pœna excommunicationis in ipsas foeminas ingredientibus, & in recipientes eas prætextu alicujus privilegij, & non aliter, prohibetur foeminis Monasteria virorum ingredi. Ingredi tamen possunt Reginae, & earum filiae, & foeminae ipsas committantes, & fundatrices, si ita ferat consuetudo, vel constitutio. Et cum reliquo Populo possunt admitti intra septa Monasterij foeminae ad Divina Officia, & ad funus: dum tamen in officinas interiores non admittantur. *Sanch. in Decal. lib. 6. c. 17. ex n. 5.* nec possunt ingredi hortos vicinos Monasterio, in quibus Religiosi intra clausuram esse censentur, possunt tamen ingredi Sacristiam, in quam datur ingressus è Templo, ut contra *Sanch. & Barbof.* tenent *Lacr. lib. 4. n. 89. & alij.* Etiam ingredi valent Grangias Religiosorum, Hispanæ: *Grangias, & Casas de Campo.* In Indijs *Estancias* appellamus. *Macbad. in Sum. lib. 5. p. 2. tr. 3. doc. 7. Villalob. Bonacin. & alij:* non tamen possunt ingredi Residentias Societatis, si hæc sint perpetuæ, & in eis vivatur ut in Collegijs, ut in Residentijs harum Insularum accidit. Secus est, si tantum sint ædes Missionariorum, & velut privatæ. Exterior Collegij atrium: *Hispanè: Portal,* in quo est prima porta, quæ toto die sæcularibus patet, non censetur intra clausuram: hæc enim incipit ab ea porta, in qua est sedes

Janitoris ad clausuram servandam. *Sanch. in Decal. lib. 6. cap. 17. Lacr. lib. 4. n. 90. & alij.* Nomine tamen mulierum in hac prohibitione veniunt solum habentes usum rationis, & etiam fatuæ puberes, quæ ad peccatum possent cooperari. Sed quia aliqui obreperant abulis in hoc puncto, à Benedicto XIV. prohibentur omnino similes abulus, mandatque, quod Moniales exactè servent clausuram: quod foeminae non ingrediantur Religiosorum Monasteria nec viri Monasteria Monialium sub gravibus pœnis. Sic habetur in duabus Constit. *De hac re editis. An. 1742. & sunt 39. & 40.* quæ inveniuntur in tom. 1. Bullar. Benedicti XIV. Præterea, in Monasterijs non sunt recipiendæ plures Moniales, quam quæ commodè possunt sustentari. *c. un. S. 1. h. t. in 6. Trid. sess. 25. de Regul. cap. 3.* quod etiam ad Monasteria virorum extenditur: nec item hæc possunt fundari, quin alij Mendicantes in illo Oppido, vel Civitate existentibus, & alij quorum interest, citentur ex *Const. Clem. VIII. 23. Jul. An. 1603.* Si Moniales domum pro congrua sustentatione afferant, utique possunt admitti. *Sanch. in Decal. lib. 7. c. 23. ex n. 4.* Denique, olim multiplex velum Monialibus ad benedictionem, & consecrationem dari solebat, ut habet *Gloss. in c. 11. 20. q. 1.* Et quidem velum consecrationis solum ab Episcopo confertur. *Barbof. de Potest. Episc. alleg. 27. n. 57.* velum Prælationis, olim sexaginta annis completis, hodie 40. vel saltem 30. datur. *Trid. sess. 25. de Regul. cap. 7.* Ex hucusque dictis patet, qualiter Religiosis votis Religionis, ejusque Regulis ligatus invenitur, in quo statu, si fidelis perseveret, accipiet coronam vitæ: si verò retro respiciat, non erit aptus Regno Cælorum: & quamvis venire ad Eremum (teste Casiano) *summa perfectio sit, non perfectio in Eremito vivere, summa damnatio est. Verus siquidem Religiosus, sic depingitur ab Eusebio; debet esse neglector quietis, fugax voluptatis, appetitor laboris, patiens abjectionis, impatientis honoris, pauper in pecunia, dives in conscientia, humilis ad merita, superbus ad vitia.* Fateor equidem cum D. Bernard, quod *vita religiosa est quoddam martyrium, illo quidem, quo membra caduntur ferro, horrore mitius, sed diuturnitate molestius.* Sed nostros animos spes præmij erigere debet. Sic olim Æneas suos socios ad perferendos labores animabat: *Per varios casus, per tot discrimina rerum tendimus in Latium, sedes ubi fata quietas ostendunt: illic fas Regna refergere Troja. Durate, & vosmet rebus servare secundis.*